DE
NESIOTARUM REPUBLICA
COMMENTATIO.

DISSERTATIO PHILOLOGICA
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE LUDOVICO-MAXIMILIANEA
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

PHIL. STUMPF.

MONACHII
TYPIS OFFICINAE ACADEMICAE STRAUBIANAE
1881.

Praefatio.

Priusquam ad rem ipsam aggrediar, pauca mihi praefari liceat. —

De Nesiotarum republica quaerere mihi propositum est. Etsi materia ipsa, quam tractaturus sum, non ita ampla est, tamen me operam perdidisse non arbitror.

Etenim in literarum studiis idem fere accidit, quod in operibus tessellatis, ut singuli lapilli, quamvis pusilli sint, tamen inter se coniuncti et in certum ordinem redacti praeclaram speciem praebeant.

Quare satis haberem, si parvam illam rem, quam suscepi, plane absolvissem. Verum longe absum, ut hoc fecerim. Multa enim obstiterunt, quominus totum me huic labori darem, id quod valde doleo. Me nequaquam fugit, multas partes commentationis meae non satis perpolitas esse; modo enim nimis longus sum, modo parum copiosus.

Quodsi tamen hunc libellum in publicum edere ausus sum, mihi velim venia detur. —

His libris usus sum:

R. Weil in Bursian „Jahresbericht über die Fortschritte der klassischen Altertumswissenschaft" 1876., vol. III. pag. 461; cf. C. Curtius in eiusdem libri ann. 1878. vol. III. pag. 70. —

Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη τῆς εὐαγγελικῆς σχολῆς. περ. δευτέρα, ἔτος πρῶτον. 1875—76. *Ἐν Σμύρνῃ* 1876. pag. 110 sequ.

In hoc libro commentatio Earini Smyrnaei de Nesiotarum civitate edita est.

De „*Μουσείῳ κ. τ. λ.*" inspicias sodes: Bursian „Jahresbericht" 1878. vol. III pag. 84. —

Cauer „delectus inscriptionum Graecarum propter dialectum memorabilium" Lipsiae 1877. Hic in pag. 148. titulus ab Earino primum editus minutis literis descriptus est. —

G. Droysen in „Geschichte der Diadochen" II. Auflage Gotha 1878 illius tituli, quem in parte II. vol. 2 pag. 374 minutis literis descripsit, crebro mentionem facit. —

Beiträge zur Kunde der indogermanischen Sprachen ed. Bezzenberger vol. V. pag. 105 sq. In hoc libro F. Bechtel titulos Aeolica dialecto compositos collegit, multo post quam hanc meam commentationem confeceram. De Nesiotarum titulo, quem et ipse, ut Cauer, Pordoselenae insulae tribuit, agit pag. 152—157. —

Zeitschrift für Numismatik ed. v. Sallet, vol. III. pag. 313. Ibi Imhoof-Blumer, vir rei nummariae imprimis peritus, de nummis Nesiotarum uberrime disseruit. —

Addo quod Mionneti libros, qui „description de médailles antiques" inscribuntur (vol. III. pag. 21 et 61, vol. supplem. VI, pag. 78), inspexi.

Alios libros, qui mihi praesto erant, occasione forte data laudabo.

Scribebam Monachii
Id. Jan. 1880.

Insula Lesbos a continenti Asiae ad septentrionem et orientem versus freto [1]) disiuncta est, quod ab antiquis „sinus Adramyttenus“ [2]) sive „Idaeus“ appellabatur. In eo haud procul a litore Mysio multae insulae sparsae sunt, quae magnitudine valde inter se differunt; permultae earum tam parvae sunt, ut propter exiguum ambitum habitari nequeant. Veteres eas „Hecatonnesos“ [3]) appellabant; de numero earum alii aliter sentiebant [4]). —

Primus omnium scriptorum antiquorum Herodotus in cap. 151. libri primi Hecatonnesorum mentionem facit his verbis:

---

1) Qui perfectam illarum regionum notitiam haurire voluerit, ei tabulae a Britannis, hominibus rerum nauticarum longe peritissimis, confectae inspiciendae erunt. Doleo quod ipse eas perscrutari non potui; namque in nulla Monacensi bibliotheca inveniuntur. Quare eam tabulam consului, quam Conze libro suo, qui „Reise auf der Insel Lesbos“ inscribitur, addidit. Is Anglorum tabulis nauticis usus est, ut in pag. VIII. profitetur. Conzium igitur secutus ipse in tabula adiuncta regionem, de qua quaesiturus sum, descripsi.

2) Hoc nomen apud veteres ambiguum erat, uti ex Strabonis verbis (lib. XIII pag. 606. C.) apparet. Alii enim laxiore vocabuli sensu totam maris partem inde a Lecto promontorio usque ad Canas promontorium, alii proprie eum sinum, qui Gargarorum promontorio et Pyrrha promontorio includitur, sinum „Adramyttenum“ appellabant. —

3) Strabo XIII. pag. 618. C; conf. Meineke ad Stephanum Byz. pag. 121, et eiusdem „philolog. exercit. in Athenaei deipnosophistas“ specim. II. Lips. 1846. pag. 29. —

4) Strabo quidem Hecatonnesos ad viginti insulas esse censet, sed tamen addit, Timosthenem insulas quadraginta esse dixisse. Earinus ipse affirmat, Hecatonnesos quadraginta insulas esse, quarum nomina in pag. 145. commentationis suae accuratissime enumerat.

„... ἐν τῇσι Ἑκατὸν νήσοισι καλεομένῃσι ἄλλη μία“ (scil. πόλις οἰκέεται).

Alter testis est Diodorus Siculus, qui in libri XIII. cap. 77. sic scribit:

„.....εὑρὼν δὲ αὐτὴν (Μήθυμναν) ἡλωκυῖαν τότε μὲν ηὐλίσθη πρός τινι νήσῳ τῶν Ἑκατὸν καλουμένων ...“

Utroque scriptore copiosius Strabo de Hecatonnesis loquitur. Audiamus quid dicat (lib. XIII. pag. 618 ed. Casaub.):

„.... κατὰ δὲ τὸν πορθμὸν τὸν μεταξὺ τῆς Ἀσίας καὶ τῆς Λέσβου νησία ἐστὶ περὶ εἴκοσιν, ὡς δὲ Τιμοσθένης[5]) φησί, τετταράκοντα· καλοῦνται δ' Ἑκατόννησοι συνθέτως, ὡς Πελοπόννησος, κατὰ ἔθος τι τοῦ Ν γράμματος πλεονάζοντος ἐν τοῖς τοιούτοις, ὡς Μυόννησος καὶ Προκόννησος λέγεται καὶ Ἁλόννησος, ὥστε Ἑκατόννησοί εἰσιν οἷον Ἀπολλωνόννησοι[6]). Ἕκατος γὰρ ὁ Ἀπόλλων. παρὰ πᾶσαν γὰρ δὴ τὴν παραλίαν ταύτην ὁ Ἀπόλλων ἐκτετίμηται μέχρι Τενέδου, Σμινθεὺς ἢ Κιλλαῖος καλούμενος ἢ Γρυνεὺς ἤ τινα ἄλλην ἐπωνυμίαν ἔχων. πλησίον δὲ τούτων ἐστὶ καὶ ἡ Πορδοσελήνη, πόλιν ὁμώνυμον ἔχουσα ἐν αὑτῇ.“ κ. τ. λ. —

In lexico Hesychii legimus nihil nisi:

„Ἑκατοννήσους. αἱ περὶ Λέσβον.“ —

Stephanus Byzantius vero bis de Hecatonnesis loquitur. Ad verbum „Ἑκατόννησοι“ haec adnotat:

οὕτως περὶ τὴν Λέσβον νησία κ', ὡς Στράβων, παρὰ τὸν Ἕκατον τὸν Ἀπόλλωνα· τιμᾶται γὰρ διαφόρως ἐν τοῖς τόποις, Σμινθεύς, Κιλλαῖος, Γρυνεύς· οἱ οἰκοῦντες Ἑκατοννήσιοι.“ —

---

5) De illo Timosthene Strabo saepius loquitur; cf. IX. 421 et. II. 91 etc.; Marcian. Heracleensis in „epitome peripli Menippei“ § 2. et 3. (Geogr. Graec. minor. ed. Carol Müller. vol. I. 565 sequ.); G. J. Vossii „de histor. Graec. libri III“ ed. A. Westermann Lips. 1838. p. 147.

6) Sic enim scribendum est, non „Ἀπολλώννησοι“ quemadmodum in aliquot codicibus et editionibus scriptum exstat.

Videmus, Stephanum hunc locum e Strabonis libro excerpsisse. —

Alterum Stephani testimonium invenimus sub verbo: „Σελήνης πόλις". Ibi enim legimus:

„Σελήνης πόλις. Τυρρηνίας. τὸ ἐθνικὸν Σεληνοπολίτης. καὶ ἑτέρα μεγάλη μία τῶν Ἑκατὸν νήσων. ἔστι καὶ σελήνη πόπανόν τι τῷ ἄστρῳ παραπλήσιον. ὁ οἰκήτωρ Σεληνίτης καὶ Σεληναῖος".

Certe hoc loco de insula Pordoselene loquitur grammaticus, de qua postea pauca adnotabo.

Multis saeculis post Stephanum Eustathius Byzantius de Hecatonnesis loquitur in libro, qui „παρεκβολαὶ εἰς τὴν Ὁμήρου Ἰλιάδα" inscribitur. Ibi enim pag. 49. 18. de numero centenario, quam late pateat, quaestione instituta haec verba facit:

„..... Οὐ μὴν τοιοῦτον καὶ αἱ Ἑκατόννησοι· ἐκεῖναι γὰρ ὡς Ἑκάτου, ἤγουν Ἀπόλλωνος, νῆσοι οὕτω λέγονται."

Eustathius igitur et ipse Strabonem secutus est.

Quodsi tabulam geographicam inspexerimus, ex ea intellegemus, unam ex insulis, quae Hecatonnesi vocabantur, ceteris ambitu longe praestare. De hac insula commentatione mea mihi proposui quaerere. —

Abhinc complures annos Eariuus Smyrnaeus in illa maxima insula, uti ipse dicit, parumper commoratus est. Tunc forte sacellum S. Trinitatis reficiebatur; rudus a structoribus in acervum congestum erat, quem Earinus perscrutatus lapidem in duobus lateribus inscriptum repperit. Marmor album est; altum est 1,13 m; latum 0,50 m; 0,11 m crassum.

Quo de lapide sciscitans Earinus ex insulanis comperit, eum multis annis ante, cum fundamenta illius sacelli iacerentur, inventum esse. Quare mirum non est, inscriptionis sedecim versus superiores iam in „Ἰονίῳ Ἀνθολογίᾳ" fascic. I. 134 editos[7]) a

---

7) Tituli versus 1 – 16 in „Ἰονίῳ ἀνθολογίᾳ" cum alio titulo confusi sunt. Boeckh eos recte divisit et illam alteram inscriptionem numero 2182 notatam edidit (cf. Bechtel l. l. p. 154).

Boeckhio in corpus inscriptionum Graecarum receptos esse vol. II. 2166. c; illud tamen certe mirabimur, quo factum sit, ut haec inscriptio Mytilenis tribueretur.

Earinus titulum in lapide insculptum accurate descripsit et suum apographum cum alio, quod a Dionys. Marcopulo, uno ex ephoris „Musei" factum erat, contulit.

Videmus, inscriptionem in sinistra parte mutilam esse; quae Earinus ibi supplevit, partim certa, partim probabilia sunt.

Mihi dubium non est, quin titulus „*στοιχηδόν*" scriptus sit[8]), id quod ex Earini apographo nescio quo pacto non apparet.

Etenim si attente singulos versus consideraverimus, in plurimis versibus tricenas binas literas positas inveniemus. Pauci admodum versus ex tricenis singulis literis compositi sunt, qua re ideo non offendor, quod in aliis quoque titulis „*στοιχηδόν*" scriptis in dextra parte versus unius literae spatio productiores vel reductiores[9]) sunt. Quodsi de hac re ab iis versibus quaerere ordiemur, qui integri servati sunt, velut versus 48., 49., inde ad alios aggrediemur, qui certe suppleti sunt, velut versus 36., 37., 38., 39., 46., 47., 50. aliique, postremo alios examinabimus, de quibus vix dubitari potest, sequitur, fere omnibus versibus tricenas binas literas contineri.

Item titulus in sinistro lapidis latere incisus „*στοιχηδόν*" scriptus est. Cuius priores versus 22 tam male servati sunt, ut vix unam vel alteram literam enucleare possis. Cauer quidem illas literas in vocabula quaedam redigere periclitatus est, verum pristinum verborum contextum elicere non potuit. Videmus, paene omnibus versibus, qui certe suppleti sunt, undenas literas contineri.

Multa sunt in his duobus titulis, quae accuratius examinari oporteat. Sed vereor, ne longum sit, si illas quaestiones

---

8) Id Bechtelio quoque probatur l. l. pag. 154.

9) Exemplum habemus in illa inscriptione Mytilenaea, quae in corp. i. Graec. num. 2166. edita est. Idem in alio titulo, quem Boeckh ibidem numero 2139. notatum edidit, invenitur.

hic velim instituere. Quare eas in fine libelli mei tractare animum induxi, nunc ad summam quaestionis aggrediar.

Nemo dubitabit, quin in versu 40. illius inscriptionis maioris nomen populi contineatur, qui Alexandri Magni aetate illam insulam incolebat. Dolendum est, quod primae huius nominis literae deletae sunt. Nec tamen difficile erat, illas literas supplere. Fieri enim non potest, ut plures quam duae literae ante illud „. . *ΣΙΩΤΑΝ*“ deletae sint.

Egregie Earinus hanc lacunam explevit. Jubet enim „*ΝΑ*]*ΣΙΟΤΑΝ*“ legi. Nec temere hoc facit, verum multa argumenta affert, quibus nulla iam dubitatio relinquitur, revera incolas illius insulae „Nasiotas“ appellatos esse. —

Fortunae benignitate multi illius civitatis nummi servati sunt. In omnibus laureatum caput Apollinis signatum est; in altero latere fere panthera conspicitur, iuxta quam literae „*ΝΑ*“ vel „*ΝΑΣΙ*“ cusae sunt.

Diuturna controversia[10]) quae de iis inter antiquarios exorta est, titulo illo ab Earino invento est dirempta.

Mionnetus primus quinque illorum nummorum descripsit (Vol. III. num. 121 u. 189; supplem. VI. pag. 78).

Hunc satis longo intervallo post Imhoof-Blumer secutus est, qui in libro „Choix de monnaies grecques“ Winterthur 1871. tabul. III. 114. unum ex illis nummis, qui Monachii servatur, depinxit.

Aliquot annis post idem vir doctissimus in ephemeride numismatica (ann. 1875. vol. III. fasc. I pag. 313.) septendecim Nasiotarum nummos descripsit.

Liceat mihi ex commentatione eius totam hanc partem excerpere:

---

10) Alii enim illos nummos Cephalleniae urbi „Neso“; alii parvae insulae „Nesiope“ (vel „*Νησώπη*“ Steph. Byz., conf. Conze „Reise auf Lesbos“ pag. 25); alii denique vico Lesbiaco „Nape“, de quo Strabo in lib. IX. pag. 426. loquitur, tribuerunt. Ceterum de ea re Imhoof-Blumer in commentatione, de qua supra dixi, locutus est.

1. AR. 15 m Gr. 2,60. Lorbeerbekränzter Apollokopf, linkshin.
Rv. *NAΣI*. Rechtshin schreitender Panther, sich links umschauend; vor ihm, im Felde, ein Widderkopf rechtshin.
Paris. Mionnet. Suppl. VI. 78. 150, abgebildet in der Revue numismatique 1845. pag. 413. — Brit. Mus. Gr. 2,52.

2. AR. 15 m Gr. 2,73. Lorbeerbekränzter Apollokopf rechtshin.
Rv. NACI. Derselbe Typus; unter dem erhobenen linken Vorderfusse des Panthers ein Palmbaum und im Abschnitte eine Aehre mit 2 Blättern. München abgebildet im „Choix de monnaies grecques" Taf. III. 114. Es ist dies das identische Exemplar, das bei Mionnet III. 60. 188. mit Cousinérys irriger Lesung „*NAΓ*" erscheint. Dass die bei Mionnet Suppl. VI. 78. 151. verzeichnete Münze von Andros ist, setze ich als bekannt voraus.

3. AR. 10 m Gr. 0,65 (etwas beschädigt). Lorbeerbekränzter Apollokopf von vorne gesehen, etwas linkshin geneigt; links daneben „*N*".
Rv. Kopf der Artemis von vorne, etwas rechtshin geneigt; über der rechten Schulter der Köcher, links im Felde „*N*".

Tres hi nummi argentei sunt; qui nunc sequuntur, sunt aerei.

4. Æ. 10 m Gr. 1,05. — „*N*" vor einem lorbeerbekränzten Apollokopf rechtshin.
Rv. Weiblich. Kopf (der Artemis?) von vorne gesehen, etwas rechtshin geneigt. (rechts neben ihm „*N*" ?).

5. Æ. 9 m Gr. 0,80. Lorbeerbekränzter Apollokopf rechtshin.
Rv. *AV*. Linkshin schreitend. Panther, zurückschauend, darunter eine Keule?

6. Æ. 8 m Gr. 0,65. Gleiche Typen mit der Aufschrift *NAΣI*; unter dem Panther eine Weintraube.

7. Æ. 9 m Gr. 0,60. Derselbe Kopf rechtshin.

Rv. (*NA*). Derselbe Typus rechtshin; vor demselben ein Widderkopf. Paris. Rev. numism. 1845. p. 415. 2.

8. Æ. 9 m Gr. 0,70. Gleiche Typen und Symbol, mit dem Panther linkshin und der Aufschrift *NA*.

9. Æ. 9 m Gr. 0,66. Gleiche Typen rechtshin ohne Symbol mit der Aufschrift *NAΣ*. Brit. Mus.

10. Æ. 15 m Gr. 4,15. Panther r. springend, den Kopf zurückwendend.

Rv. *NAΣ*. Lyra und Palmzweig. Paris.

11. Æ. 18 m Gr. 3,93. Lorbeerbekränzter Apollokopf rechtshin.

Rv. *NAΣI*. Lyra und Palmzweig. Brit. Mus.

12. Æ. 18 m — Gleiche Typen und Aufschrift; rechts neben d. Lyra eine Herme. Athen.

13. Æ. 18 m Gr. 6,20. Derselbe Kopf rechtshin.

Rv. *NAΣI. ΔIONY*. Dreifuss. Brit. Mus.

14. Æ. 22 m Gr. 12,20. Derselbe Kopf rechtshin.

Rv. *NAΣI*. Delphin rechtshin; darüber ein Palmzweig. Paris Rev. num. 1845. pag. 415. 3.

15. Æ. 20 m Gr. 6,45. Gleich der vorigen. Brit. Mus.

15a Æ. Gleiche Typen und Aufschrift. Unter dem Delphin eine Lyra. Athen.

16. Æ. 14 m Gr. 1,80. Ebenso. Paris. Mionnet Suppl. VI. 78. 153.

17. Æ. 18 m Gr. 5,08. Reiter mit fliegender Chlamys, rechtshin galoppierend; darunter A; im Felde Contremarque mit Delphin.

Rv. *NA / ΣI* in einem Lorbeerkranz. — Brit. Mus. —

Etsi Imhoof-Blumer inscriptionis ab Earino inventae tunc nullam notitiam habuit, tamen coniectura perspexit, illud "*NAΣI*" in „*NAΣIΩTAN*" suppleri posse. Nec tamen ipse in hac coniectura perseveravit, verum illos nummos Lesbiacae cuipiam urbi tribuit, cuius nomen oblivione obrutum esse censuit. —

At nos non iam dubitabimus. Certum est, omnes illos nummos in Asia Minore inventos esse. Id non solum Imhoof-Blumer testatur, cum dicit: „Diese Münzen gelangten von jeher

„ausschliesslich von Kleinasien in unsere Museen und Sammlungen, eine Thatsache, die H. de Longpérier aus den Publicationen Mionnet's nicht unbekannt sein durfte und welche „durchaus bestätigt wurde durch die seitdem erschienenen Auktionskataloge verschiedener in Smyrna gebildeter Sammlungen „und durch meine persönlichen Erfahrungen und Erkundigungen", sed etiam Earinus affirmat se complures tales nummos prope Cydoniam, quae in continenti Mysiae sita est et ab insula „Neso" vix „quartam partem horae" abest, emisse. Septem ex iis ineditos antea in commentatione sua edidit; sunt hi:

1. Caput Apollinis laureatum ad dexteram versum.
   Rv. *NAΣ(I)*. Tigris progrediens in sinistram partem; caput retorquens in dextram. numm. aer.
2. Caput Apollinis dextrorsum.
   Rv. *NAΣI.* Tigris dextrorsum progrediens; caput ad sinistram vertens. Ante eam caput arietis. numm. aer.
3. Laureatum caput Apollinis dextrorsum.
   Rv. *NAΣI.* Tigris ad dexteram prosiliens, caput autem ad sinistram vertens. Ante eam caput arietinum in dexteram versum.
4. idem caput.
   Rv. *NA(ΣI)*. Tigris in sinistram partem progrediens, caput in dextram vertens.
   Sub ea baculum. (numm. aer.)
5. idem caput.
   Rv. *NAΣI.* Tigris ad sinistram progrediens, caput ad dextram vertens. Sub ea mus. (numm. aer.).
6. idem caput.
   Rv. Caput bovis cum gutture, dextrorsum. (numm. aer.)
7. idem caput.
   Rv. *NAΣI.* Delphinus dextrorsum (numm. aer.).

Quodsi consideramus, hos nummos prope insulam, de qua quaestio est, inventos esse, non iam dubitabimus, quin in insula „Neso" cusi et illinc in continentem translati sint. Plane Earino assentior dicenti (pag. 122) aereos nummos fere in iis ipsis

regionibus, in quibus cusi sint, inveniri. Nam propter pusillum pretium haud ita longe disseminari solebant.

Ne illud quidem neglegendum est, in omnibus his nummis Apollinis caput signatum esse. Is ergo potissimum apud incolas insulae „Nesi" colebatur[11]).

Sed de ea re postea quaerere institui; nunc cetera testimonia, quibus nomen illius insulae confirmatur, proferam. — A. Kirchhoff in „corpore inscriptionum Atticarum" I. pag. 17. num. 37. triginta fragmenta tituli Atheniensis descripsit, in quo decreta de tributis sociorum ordinandis insculpta erant. Additus erat catalogus tributorum, ita per provincias dispositus, ut a tributis insulanorum exordio facto tributis civitatum et populorum Thraciae terminaretur. Illa decreta Aegeidis tribus prytania Stratocle archonte facta sunt quarto anno octogesimae octavae Olympiadis. Inter illa fragmenta unum est, quod Kirchhoff litera z" notavit (pag. 20). In eo tributa complurium civitatum Hellespontiarum exstant, quibus aliquot urbes Aeolicae subiciuntur, (vers. 12—15). In versu 12 „*Ἀκταῖαι πόλεις*" legendum est. Illae civitates ab Atheniensibus secundo anno octogesimae octavae Olympiadis tributariae factae sunt. Antea in dicione Mytilenaeorum fuerant. Conf. Thucyd. III. 50. 3, qui haec verba facit:

„... *παρέλαβον δὲ καὶ τὰ ἐν ἠπείρῳ πολίσματα οἱ Ἀθηναῖοι, ὅσων Μυτιληναῖοι ἐκράτουν καὶ ὑπήκουον ὕστερον Ἀθηναίων.*"

Altero Thucydidis testimonio, quod est in libr. 4. cap. 52. idem confirmatur:

„... *καὶ οἱ Μυτιληναίων φυγάδες καὶ τῶν ἄλλων Λεσβίων ... αἱροῦσι Ῥοίτειον ... καὶ μετὰ τοῦτο ἐπὶ Ἄντανδρον στρατεύσαντες προδοσίας γενομένης λαμβάνουσι τὴν πόλιν καὶ ἦν αὐτῶν ἡ διάνοια, τάς τε ἄλλας πόλεις τὰς Ἀκταίας καλουμένας, ἃς πρότερον Μυτιληναίων*

---

11) cf. Strabo XIII. 619. C.

νεμομένων Ἀθηναῖοι εἶχον, ἐλευθεροῦν καὶ πάντων μάλιστα τὴν Ἄντανδρον . ."

Dubium igitur non est, quin in versu 13. „*Ἄντανδρος*" et in versu 14 „*Ῥοίτειον*" legendum sit. Tertiae autem urbis nomen, quod in versu 15. exaratum est, adhuc erat obscurum; nunc vero non iam in quaestione versatur.

Haec enim inscriptio, ut supra diximus, octogesima octava olympiade exarata est. Tunc illa quae dicuntur „*Ἰωνικὰ γράμματα*" Athenas nondum introducta erant; id enim secundo anno olympiadis nonagesimae quartae Euclide archonte factum esse accepimus. Quae cum ita sint, illud „*ΝΕΣC*" nihil aliud est nisi „*ΝΗΣ[ΟΣ*", Aeolice „*ΝΑΣΟΣ*". —

Videmus, nomen illius insulae certissimis testimoniis ex ipsa antiquitate repetitis comprobatum esse. Verum alia quoque sunt recentiora illa quidem, nec tamen omittenda. — In catalogis episcoporum urbis Mysiae „Nesae" mentio fit[12]).

Illo „*Νῆσα*" insulam Nesum significari Earinus suo iure opinatur.

---

12) Conferas „Hieroclis synecdemus et notitiae Graecae episcopatuum" ex recognitione Gustavi Parthey. Berol. 1866. — In notitia VIII. 115. legimus: „*ὁ Νήσης;*" idem exstat in notit. IX. 43. Verisimillimum est, id quod Earinus (pag. 112) monet, illud „*Νήσης*" populari Byzantiorum sermone ex antiquo nomine „*Νῆσος*" depravatum esse, ita ut pro „*ὁ τῆς ἐπαρχίας Νήσου ἐπίσκοπος*" diceretur: „*ὁ τῆς ἐπαρχίας Νήσης ἐπίσκοπος*". Addendum est, quod in alio catalogo (notit. I. 108) pro *Νήσης* „*ὁ Νύσης*" scriptum est. In notitia VII. 98 legimus „*τὸν Νύσσης*"; in notit. X. 162 et XIII. 25 „*ὁ Νύσσης*". In notitia III. 27 „*ὁ Νύσσης τῆς ἑτέρας*". (Altera enim „Nysa" in Caria erat.) Mira est haec orthographiae variatio. Nec tamen unicum hoc exemplum est; idem enim invenitur in nomine urbis Caricae „Nysa". Nam in notitia XIII. 238 scriptum est: „*ὁ Νήσου*", in notitia III. 271. et VIII. 368 „*ὁ Νήσων*"; in notit. IX. 276: „*ὁ Νύσου*" scriptum est, cum in notit. I. 316 „*ὁ Νύσων*" legamus. Magis etiam nomen illius urbis corruptum est in Hieroclis synecdemo, ubi pag. 684. 13. „*Μίσαι*" invenitur!

Et plura eiusmodi exempla in synecdemo et in notitiis opinor inveniri possunt. Num igitur mirabimur, nomen insulae „*Νῆσος*" adeo in notitiis depravatum esse?

Accedit, quod nostra quoque aetate illa insula cum a Lesbiis et ab iis, qui in continenti sunt, tum ab ipsis insulanis „*Νησί*“ apellatur. Miror me in nulla omnium quas examinavi tabularum nomen repperisse, quod Graeci, qui nunc sunt, huic insulae dederunt. Earinus autem plane et aperte affirmat, insulam nunc et ab incolis eius et a vicinis „*Νησί*“ nominari[13]). Nos Earino sine ulla dubitatione fidem habebimus, quippe cum ipse omnes illas regiones viserit.

Illud „*Νησί*“ ex „*Νησίον*“ ortum est. Nec tamen idcirco ab antiquis insulam „*Νησίον*“ appellatam esse crediderim.

Nullius enim momenti puto Stephani Byzantii esse testimonium dicentis:

Νῆσος· ἡ ἐν θαλάσσῃ πόλις. ὁ ταύτην οἰκῶν νησίτης, ὡς Κάνωβος Κανωβίτης. τοῦ δὲ νησίον νησιώτης καὶ νησιῶτις θηλυκῶς. καὶ νησαῖος ὡς χερσαῖος. τὸ κτητικὸν νησιωτικός. ἔστι καὶ Νῆσος πόλις Ἰβηρική.

---

13) In tabulis geographicis insula „*Νῆσος*“ „*Μοσχοννήσιον*“ vel „Mukonnisi“ appellata est. Conferas Ch. Texier „description de l'Asie mineure“. Paris 1849. II. pag. 212: „ ... Nous séjournâmes quelque temps dans le port de Mosco-Nisi, pour chercher les ruines de plusieurs petites villes de la côte ... L'archipel de Mosco-Nisi était appelé dans l'antiquité „Hecatonnèse“ parcequ'il était dédié à Apollon Hecateus. On aperçoit, en déhors du port, un petit archipel de rochers arides“.

Nomen „*Μοσχοννήσιον*“ Earinus inde ortum esse docet, quod nomen insulae cum titulo episcopi cuiusdam confusum sit.

Quaeritur, num hoc verum sit; nam Earinus in pag. 139 hanc fabulam affert:

„*Λέγουσιν ὅτι ναύαρχός τις Τοῦρκος πρό τινων περίπου*
„*αἰώνων ἀποβιβασθεὶς εἰς τὴν νῆσον ἔρημον τότε οὖσαν καὶ θαυ-*
„*μάσας τὸ κάλλος αὐτῆς ἠθέλησε νὰ τὴν κατοικήσῃ. Πρῶτος δὲ κάτ-*
„*οικος αὐτῆς ὑπῆρξέ διαβόητός τις πειρατὴς Μόσχος καλούμενος,*
„*ὃν συλλαβὼν ἐγκατέστησεν εἰς τὴν νῆσον μετὰ τῶν ἑταίρων αὐτοῦ*
„*καὶ τῶν οἰκογενειῶν αὐτῶν. Ἐντεῦθεν δὲ ἡ νῆσος ἐκλήθη Μο-*
„*σχόννησος καὶ σὸ ἀρχιπέλαγος Μοσχοννήσια*“.

Earinus haec „*λῃρήματα*“ appellavit, tamen puto, in iis aliquid veri inesse. Unde enim talis fabula?

Nam in etymologicis antiqui haud bene versati erant nec temere iis in his credendum est[14]).

Quodsi omnia memoria comprehendemus, fieri non poterit, ut dubitemus, quin antiquis temporibus insula, quae nunc „*Νησί*“, vocatur „*Νῆσος*“ appellata sit. —

Illud quidem concedo, dixerit aliquis, at miror, neminem veterum scriptorum illius civitatis mentionem facere.

Sed non ita est; evolvamus modo Strabonis librum XIII. pag. 619. A; ibi legimus:

„. . *πλησίον δὲ τούτων (τῶν Ἑκατὸν νήσων) ἐστὶ καὶ ἡ Πορδοσελήνη, πόλιν ὁμώνυμον ἔχουσα ἐν αὐτῇ· καὶ πρὸ τῆς πόλεως ταύτης ἄλλη νῆσος πόλις μείζων αὐτῆς ὁμώνυμος, ἔρημος, ἱερὸν ἅγιον ἔχουσα Ἀπόλλωνος* . .“

Sic in omnibus libris manu scriptis legitur. Videmus, verborum contextum corruptum esse. Nam quid illud „*νῆσος πόλις*“ sibi vult? Ne id quidem intellegere possumus, quid verbis „*αὐτῆς ὁμώνυμος*“ significetur. Num hanc maiorem insulam vel urbem „*Πορδοσελήνην*“ et ipsam appellatam esse putabimus?

Quibus causis adducti permulti eorum, qui Strabonis libros ediderunt, illa verba sic mutaverunt.

„ . . *καὶ πρὸ τῆς πόλεως ταύτης ἄλλη νῆσος μείζων αὐτῆς * καὶ πόλις * ὁμώνυμος, ἔρημος κ. τ. λ* . . “

Dubium non est, quin hoc loco Strabo de civitate Nesiotarum loquatur. Quare Earinus sic scribendum esse censet:

„*καὶ πρὸ τῆς πόλεως ταύτης ἄλλη, Νῆσος, μείζων αὐτῆς καὶ πόλις ὁμώνυμος* . . . “

Putat enim, illud „*ΝΗΣΟΣ*“ non esse „nomen appellativum“ sed „nomen proprium“.

---

14) Cf. Suidam s. verb. „*νῆσος*“. Ibi ante Gaisfordium legebantur haec: „*ἐντεῦθεν νησίτης καὶ κατὰ πλεονασμὸν νησιώτης, ὡς ἀγροιώτης*“. Haec verba Gaisford delevit. — Ad verbum „*νησίον*“ Suidas haec adnotat: „*καὶ νησιώτης ὁ ἀπὸ νήσου*“. — Contra L. Meyer „vergleich. Grammatik“ II. p. 527.

Nec tamen ei assentior; quid enim, si eum sequeremur, illi „ἄλλη“ faceremus? Quonam pertineret? Num ad antecedentia verba: „πόλεως ταύτης“, ita ut esset „ἄλλη πόλις“?

Quod si ita esset, hic verborum contextus esset:

„. . . . καὶ πρὸ τῆς πόλεως ταύτης ἄλλη (scil. πόλις!) Νῆσος, μείζων αὐτῆς (?) καὶ πόλις (!) ὁμώνυμος . . “

Nemo opinor sibi persuadebit, talem interpretationem veram esse. —

An illud „ἄλλη“ ad vocem subsequentem „Νῆσος“ referendum esse putabimus? Hoc si verum esset, aut sic scribi oporteret:

„ . . . ἄλλη νῆσος, Νῆσος, μείζων αὐτῆς καὶ πόλις ὁμώνυμος . . . “

aut illud „Νῆσος“ simul nomen appellativum et proprium esset, quod dicendi genus aeque a Graeco atque a nostro sermone plane alienum est. —

Quid igitur faciendum? Liceat mihi meam de hoc loco sententiam dicere.

Ante omnia subditicia illa verba „καὶ πόλις“ e verborum contextu removenda esse opinor. Nam in nullo bono codice inveniuntur. Iis igitur omissis Strabonis verba sic sanare periclitatus sum:

„. . . . καὶ πρὸ τῆς πόλεως ταύτης ἄλλη νῆσος (πολὺ?) μείζων, αὑτῆς ὁμώνυμος, ἔρημος κ. τ. λ. . . . “

Nihil igitur mutavi, nisi quod illum quem dicunt grammatici „spiritum lenem“ vocis „ΑΥΤΗΣ“ in „spiritum asperum“ converti.

Vocem „πόλις“ autem, quae in libris manu scriptis ante „μείζων“ posita est, aut omittendam esse censeo, aut in „πολύ“ commutandam. Revera enim insula „Νῆσος“ omnes ceteras Hecatonnesos ambitu sic superat, ut si illae in unam insulam conglutinatae essent, huius magnitudinem certe non aequarent.

Illo „αὑτῆς ὁμώνυμος“ quid significetur, haud difficile in-

tellegemus: insula nomen ab ipsa ductum accepit; ergo „*Νῆσος*" appellata est.

Illud „*ἱερὸν ἅγιον Ἀπόλλωνος*" etiam Strabonis aetate servatum erat, tota insula deserta. Magna ergo religione erat. Quaeritur num huc titulus a Böckhio c. i. Gr. num. 1607 editus pertineat[15]). In eo vers. 8 legitur „*Ἀπόλλωνι τῷ Νασιώτᾳ*" et 12/13 „*Ἀπόλλωνος τοῦ Νασιώτα*". In nulla alia inscriptione, in nullo libro hoc Apollinis cognomen invenitur. Titulus est Chalensis, ut e verborum contextu apparet; tamen lapis non in illa regione inventus est, sed prope Sicyona. Verisimile igitur, illic templum Apollinis Nasiotae fuisse[16]). Qui utrum Apollo ab insula Neso appellatus sit necne difficile est dictu.

Restat ut examinemus, num praeter Thersippum in antiquorum scriptis vel in titulis adhuc effossis ullius civis Nesiotae mentio fiat.

In Luciani libro qui „*Φιλοψευδής*" inscribitur, cap. 18. haec verba legimus: „ . . . *ἐν οἷς καὶ τὰ Κριτίου τοῦ Νησιώτου πλάσματα ἕστηκεν, οἱ τυραννοκτόνοι* . . ", et in „*ῥητόρ. διδασκ.*" cap. 9 „ . . . . *οἷα τὰ τῆς παλαιᾶς ἐργασίας ἐστίν, Ἡγησίου καὶ τῶν ἀμφὶ Κριτίαν τὸν Νησιώτην* . . . ".

Verum ex compluribus titulis, nunc ab Hirschfeldio in libro „tituli statuariorum sculptorumque Graecorum" Berol. 1871. collectis pag. 69 discimus, illos locos Luciani corruptos esse. Quare in editionibus nunc recte scribitur: „*Κριτίου καὶ Νησιώτου*" et „*Κρίτιον καὶ Νησιώτην*"[17]).

Huius Nesiotae[18]) a Plinio inter aemulos Phidiae mentio fit

15) Lapis a Dawkinsio haud longe a Basilico prope Asopum (Sicyon.) repertus et Oxonium translatus est. Tribus in lateribus inscriptus est; conf. c. i. gr. num. 1567. et 1594.

16) Dico „verisimile"; nam fieri potest ut lapis a nautis pro saburra in navi positus et sic trans mare vectus sit. An Delius Apollo erat?

17) cf. Ross „Kunstblatt". 1840. num. 11. et 17. Rangabé „antiqu. hellén." I. num 24. et 25.

18) Cf. de Nesiota statuario Brunn „Geschichte der griech. Künstler" I. p. 101. — Nomen „*Νησιώτης*" haud rarum fuisse videtur. In inscrip-

in N. H. 34. 19. 49; Critius autem a Pausania VI. 3. 5. „Ἀττικός“ appellatur.

Addo titulum qui in „corp. inscript. Atticarum“ num. 357. pag. 182 exstat.

Ibi legitur:

(α)λκιβιος
ανεθεκεν
κιθαροιδος
νεσιοτες

Certe illud „Νησιώτης“ non nomen statuarii est, de quo supra locuti sumus — quemadmodum Ross et Rangabé censuerunt — verum ad Alcibium pertinet[19]). Alcibius citharoedus ergo Nesiota erat. Hic fortasse ex insula Neso oriundus fuit; nec tamen id certum est. Nam aliae quoque urbes „Νῆσος“ appellabantur[20]).

In titulo Cephallenio, qui in corp. i. Graec. vol. II. num. 1930. e. pag. 988 invenitur, Onasimus quidam „Nesiotes“ appellatur. Sed ille Onasimus certe Cephallenius erat. In Cephallenia enim urbem „Nesum“ fuisse, a Livio docemur in lib. XXXVIII 28. 6. De hoc loco disserui in „Blätter für das bayer. Gymnasialschulwesen“ vol. XVII. pag. 60. sq.

---

tione quidem Halicarnassea ap. Böckh II. 2655 bis (vers. 15 et 18.) legitur. Addo titulum a Rangabeo l. l. II. 1500 editum, ubi v. 2 „Νησιώτου“ exstat. Cf. etiam Athenaei II. 70. B.

19) Cf. quae Kirchhoff l. l. ad hunc titulum adnotavit.

20) Steph. Byzant. s. v. „Νῆσος“; Dion Halic. ant. Rom. I. 49. 5. (ed. Kiessling); Plinius N. H. IV. 12. 64 aliique.

Excursus I.

De Nesiotarum decreto.

Titulo ab Earino invento Nesiotarum decretum continetur, quod in honorem Thersippi factum est. Is Nesiotarum rempublicam permultis beneficiis sibi devinxerat. Civem Nesiotarum eum fuisse opinor; qui nisi fuisset, ei propter magna beneficia quibus Nesiotarum rempublicam affecerat, inter ceteros honores tunc ei decretos civitas quoque data esset. Sed civitatis in decreto nullo loco mentio fit. Nec dubium est, quin Thersippi patria, ut in huiusce generis inscriptionibus assolet, in illo decreto significata esset, nisi ipse Nesiota fuisset.

Primi duo versus adeo mutili sunt, ut quid in iis dictum fuerit, coniectura nobis quaerendum sit. Verisimile est, ibi amicitiae, quae Thersippo cum Alexandro Magno erat, mentionem factam fuisse. Nam si hic Thersippus idem est, de quo Arrianus in lib. II. 14. 4 loquitur, iam dubitare non poterimus, quin multum apud Alexandrum et eos, qui Alexandro successerunt, valuerit. Ille enim memoriae prodidit, Alexandrum post pugnam, qua Darium apud Issum devicit, Thersippum ad Persarum regem legatum misisse.

Versus 16 sq. ut supra diximus iam in corp. inscr. Graec. editi sunt. Id ergo ab Earino ad supplendas horum versuum lacunas adhibendum fuerat. Verisimillimum enim lapidem tunc cum hi 16 versus primum describebantur, in sinistra parte minus mutilatum fuisse quam hodie.

Vers. 3. ab Earino et Cauero haud bene „ὅτε“ suppletum esse docemur vers. 33 „ὅτακε“; scribendum igitur „ὅτα“.

Vers 3/4 Earinus legit „διάλ[λαξεν τὸν ἐξ ἀνθρώπ]ων βίον“; rectius Bechtel: „δίαλλαξε τὸμ π ὰ ρ ἀνθρώπον β.“

Quod in versu 6 legitur „τὰμ βασιλεία]ν mirum non est. Eodem modo in versu 30 „τὸμ πάντα χρόνον“, in versu 32 „ἐμ προτανείῳ“, in versu 52 „τὰμ πόλιν“ legitur. Saepissime talis quae dicitur assimilatio in titulis invenitur[1]). Inde apparet, literam „ν“ in vulgari sermone ante „β“ „π“ „μ“ in „μ“ mutatam esse. Hoc mirum non est; id solum notandum, illud „μ“ non modo pronunciatum verum etiam scriptum esse.

Vers. 7 Earinus recte „βασ]ιλήεσσι“ supplevit. Conferas Ahrens „de dial. Aeolicis“. §. 21. 3. — „βασιλήεσσι“ invenitur etiam in corpore inscr. Graec. II. num. 2166. c. 4 et 10. Sic legimus in hac de qua agimus inscriptione vers. 13. „βασίληας“; vers 27. „βασιλήων“. Alia exempla habemus apud Conzium „Reise auf der Insel Lesbos“ 1865. tab. VIII. 2. vers. 9. (Bechtel. p. 109.) Non dubito, quin „η“ digammate effectum sit ex „βασίλεϝ-ος“. Mirum est, in alia inscriptione et ipsa Lesbiaca, Conze l. l. pag. 29. vers. 18 (Bechtel. p. 142) „β]ασίλεως“ incisum esse. Quid quod in titulo, quem Conze in tab. XII edidit, columna C. vers. 25 „βασίλεος“ legimus.

Vers, 7/8 „στροτ[άγοισι“ legendum est. Aeoles enim non „στρατός, στρατηγός, στρατηγέω“ dicere solebant, sed „στρότος, στρόταγος, στροταγέω“ (cf. Ahrens. §. 12. 2.) „στρότος“ in Etym. Magn. p. 728. 44. invenitur, ubi legimus: „ἀλλὰ μὴν οἱ Αἰολεῖς „στροφῶ“ λέγουσι τὸ ῥῆμα. καὶ „στρότον“ λέγουσι τὸ συνεστραμμένον πλῆθος“.

---

1) Imprimis conferendum est foedus Smyrnaeorum et Magnetum (Corp. i. Graec. vol. II. num. 3137. pag. 691), ubi illa assimilatio etiam ante „μ“ invenitur, velut in vers. 27. „ἐμ Μαγνησίᾳ“ et vers. 269: „μέμ μοι“. Huc pertinet etiam „τῶγ κατεστακόντων“, quod in versu 21 tituli Nesiotarum exstat. Idem saepissime in aliis titulis legitur, velut in illo Smyrnaeo, de quo supra diximus. (Cf. inscriptionem Megaricam corp. I. Graec. I. num. 1052).

„στροταγήσαντα“ in inscriptione Mytilenaea, quae in corp. inscr. Gr. II. num. 2189. (cf. ibid. 3486 v. 2) invenitur, exstat. In alio titulo Lesbiaco, qui ibidem num. 2186 editus est, vers. 12. legimus: „στροτάγω“; item in titulo Mytilendeo, quem Boeckh num. 2191 notavit vers. 3. In titulo Mytilenaeo quem Conze l. l. tab. VIII. 2. edidit (Bechtel p. 109) vers. 7 „στρόταγ[οι“ et vers. 13. „στροτάγοις“ legimus. „στροτάγων“ exstat in versu 9 inscriptionis, quam C. Curtius Mytilenis invenit et in Herm. VII. 407[2]) s. edidit „στροτάγω“ legitur etiam in vers. 3. tituli Eresii, qui a Pottier et Hauvette-Besnault in „bulletin de correspondance hellénique“ 1880. num. 24. editus est. Addo, quod Keil in libello, qui „inscriptiones Thessalicae tres“ inscribitur, pag. 7. B. 1. „στροταγ]έντος“ supplevit. Haud recte hoc fecit; nam aliud eiusmodi exemplum in titulis Thessalicis adhuc repertis non invenitur[3]). At Boestos „στρότος“ dixisse certum est[4]).

Vers. 8. Earinus „Μακεδόνεσσιν“ supplevit; nos cum Boeckhio „Μακεδόνεσσιμ“ legemus. Quid enim illud „ν“ hic sibi velit? Supplendum igitur v. 8/9 „μ]εγάλων ἀγάθων“.

Vers. 12. Pro „παραγενόμενος“ Böckhium secutus „παργενόμενος“ lego; sic enim hoc versu 32 literae continentur.

Vers. 14/15 Earinus illud „ΚΛΕ...“ in „Κλεῖτον“ explevit. Nec dubium est, quin recte hoc fecerit. Nam illius Cliti apud Diodorum etiam atque etiam mentio fit. Ex libro XVIII. 15. 15. apparet, eum in bello Lamiaco classi Antipatri

---

2) Cf. Bechtel num. 19. Paulo accuratius videtur titulus descriptus esse in „Μουσεῖον“ περ. δευτ. ἔτ. δευτ. καὶ τρίτ. 1876—78. p. 12.

3) Cf. quae H. v. d. Pfordten „de dialecto Thessalica“ Monachii 1879. pag. 31. de hac re disseruit.

4) Cf. Beermann „de dialecto Boeotica“ in Curtii „Studien“ IX. 17. Tituli Boeotici nunc collecti sunt a R. Meister in „Beiträge zur Kunde der indogerm. Sprachen“ ed. Bezzenberger vol. V. pag. 185. et VI. p. 1 s. — Multa sunt quibus docemur, quanto opere quae Graecis dialectis propria erant, magis magisque obliterata sint. Sic in antiquis titulis Boeoticis „στρότος“ invenitur, in recentioribus „στράτος“ saepenumero legitur; quid quod in nonnullis modo „στράτος“ modo „στρότος“ exstat!

praefuisse et Eetionem Atheniensem bis vicisse. Eiusdem libri cap. 39. docemur, Clitum ab Antipatro secundo anno olymp. 115 (319 a. Ch. n.) Lydiam provinciam accepisse. Ergo tunc vicinus erat Nesiotis. Opinor, illas parvas insulas et Lesbum ipsam ab Antipatro Cliti provinciae adiectas esse. Sic enim intellegimus, quo factum sit ut Clitus Nesiotis tributum imposuerit. In cap. 52. eiusdem libri Diodorus tradit Antigonum Clitum ex provincia expellere conatum esse; cap. 72. docemur, Clitum anno tertio Ol. 115 (318 a. Chr. n.) a Lysimachi militibus necatum esse. Quare haec contra Cyprum insulam expeditio plane alia est atque illa, quae anno secundo Ol. 118 (307 a. Chr. n.) facta est. Tunc enim Clitus iam undecimum annum apud inferos versabatur.

Vers, 16/17 nescio an Earinus falso contextus lacunas expleverit. Scribit enim ita:

οὐκ ὀλίγα]*ς δαπάνας εἰς μίκρον συνάγαγ-*
ε χρόνον]. *ὁ δὲ καὶ* etc.

Quod si fieret, illa verba „*οὐκ ὀλίγας δαπάνας*“ ad „*συνάγαγε*“ referenda essent. Ergo casum accusativum pluralis numeri haberemus. Sed non ita est; sic enim non „*δαπάνας*“ in lapide exaratum esset, sed „*δαπάναις*“ neque „*ὀλίγας*“ supplendum esset, sed „*ὀλίγαις*“. Quare „*δαπάνας*“ ad „*περὶ*“ (vers. 15) referendum est. „Thersippus cum Clito egit de expeditione in Cyprum et de .... sumptu“.

Scribamus: „*τᾶς πολλᾶ*]*ς δαπάνας*“. Primum legendum esse putavi: „*τᾶς μεγάλας δαπ*“. quod idcirco reieci, quia hoc modo 33. literas in versu haberemus.

Quid vero versu 17. faciemus? Earini „*συνάγαγ* [*ε χρόνον*]„ non intellego. Fortasse sic legendum est: „*εἰς μίκρον συνάγαγ*[*ε δ' αὔταν*].“

Vers. 18. „*σαδραπᾶν*“ legitur, quod nullo alio loco sic scriptum inveni. Aut lapidarii neglegentia verbum sic exaratum est, aut, id quod verisimilius, revera Aeoles sic scribebant.

Vers. 18/19 ad vocem „*εἰςαγώγα*[*ν*“ genetivus quidam,

velut „σίτω“ (non „σίτου“, quemadmodum E. priorem suam coniecturam „συνκα]τεσκεύασσε“ (pag. 148) correxit), desideratur. Vers. 17—19. sic opinor sunt legendi: „ὁ δὲ καὶ περὶ τὰν σιτοδείαν ἀνή [λ ω π ο λ ὺ] (non „πολλά“, ut Bechtelio placet) καὶ πὰρ τῶν σαδραπᾶν εἰςαγώγα[ν σ ί τ ω κ α]τεσκεύασσε“.

Vers. 21. literae „E.ΛΟΘΗ“ quid sibi velint, difficile dictu. Cauer Kirchhoffium secutus scribit: „ἐβαθόη“; id imperfectum verbi „βαθόην“ = „βοηθεῖν“ esse dicit. Vereor ne iusto longius haec interpretatio repetita sit. Quid enim verisimilius, quam lapidarium in titulo de quo agimus falso „ἐβαόθη“ exarasse? Scribamus modo „ἐβοάθη“ et dubium non iam erit. Nam „ἐβοάθη“ Aeolica dialecto dicebatur pro „ἐβοήθει“.

Vers. 23. „Πολυπέρχοντος“ scriptum est. Sic etiam apud Plutarchum in Demetrio IX. 6. et in Dione LVIII. 28. legitur, necnon in Florentino codice Arriani „Πολυπέρχων“ invenitur.

Vers. 24 pro „πέμψαν]τος“ „ἀπάραν]τος“ legendum esse censeo.

Vers. 25/26 Earinus „Ἀῤ]ῥαβα[ῖον“ supplevit. Conferas, quae Droysen l. l. pars II. vol. 1. pag. 13. de hoc Arrhabaeo disserit. Verba eius haec sunt:

> „Nach dem Ehrendekret für Thersippos kann es kein Zweifel sein, dass er (Arrhidaeus) vielmehr Arrhabaeus heisst, und wenigstens in Polyaen. VII. 30 .... ist Ἀριβαίου und Ἀρiββαίου die Lesung der Hdschr. Bei Diodor XVIII. 3, 26, 39, 51 u. s. w. ist der Name immer Ἀῤῥιδαῖος. Aus Justin XIII. 4. 6: „iubetur Arrhidaeus rex corpus Alexandri in Ammonis templum deducere“ sieht man, wie alt die Corruption dieses Namens ist. Eben darum habe ich nicht gewagt, die hdschr. Ueberlieferung aufzugeben, um so weniger, da nie der Name des Vaters oder sonst etwas zur Bezeichnung der Herkunft des Mannes erwähnt wird u. s. w.

Haec Droysenii opinio haud neglegenda est; tamen eam temere recipere nolim.

Vers. 32/33 legendum est „ἐμ προτανε[ίω“. „Προτανεῖον“ enim Aeolica dialecto dicebatur pro „πρυτανεῖον“.

„Προτάνιος“ (genetivus vocis „πρότανις“) quidem invenitur in versu 31 tituli Lesbiaci, qui apud Boeckhium num. 2166. editus est. Item in altera inscriptione, Lesbiaca illa quidem, verum in Delo insula inventa, quam Boeckh inter addenda voluminis II. num. 2265 b (pag. 1038.) edidit. Ibi ter (vers. 1, 2, 3) legitur: „ἐπὶ προτάνιος“ Conf. Ahrens l. l. §. 12. 7. et addend. pag. 497 et 507. Aliud exemplum invenitur apud Conze tab. XII. B. v. 29. (Bechtel pag. 146. num. 42); adde Bechtel num. 1. v. 19.

Vers. 33. „ὄτακε“ legimus. De Aeolica forma „ὄτα“ = „ὄτε“ cf. Apollonius „π. ἐπιρρημάτ.“ pag. 606. 28: „π. ἀντωνυμ.“ pag. 126. B. (Ahrens §. 29. 1). Videmus illud Aeolum „ὄτα-κε“ plane idem esse atque Atticorum „ὄτ-αν“. —

Vers. 34/35. „γ[ε||ραι]τάτω“ scribendum est. Quae E. hic supplevit, non intellego. Illud „Γ“ in fine verbi mutilati „.... τατωΓ“ lapicidae errore effectum est, cui fortasse litera „ν“ verborum antecedentium „τῶν ἐκγόνων“ in auribus resonabat, cum illud „Γ“ ante literam „Κ“ sequentis verbi „καλῆσθαι“ exarabat. Dico fortasse; nam id quoque probabile est, lapicidam cum falso „I subscriptum“ exarasset, cognito errore illud „I“ transversa linea irritum facere voluisse. Sic fieri potuit ut illa litera pro „Γ“ legeretur.

Vers. 37. „ὀγκαρυσσέτω“ Aeolice pro „ἀνακαρ“. Cf. Ahrens §. 12. 2. et §. 28. 1. „ὀντέθην“ legitur corp. insc. Graec. n. 3524 vers. 8, cf. 34,39 etc. — „ὀνσταθείσας“ in titulo apud Bechtel pag. 124. num. 15 vers. 8 legitur.

Vers. 39. „γινώσκῳσι“ mirum est propter „ι subscriptum“. Idem in duobus aliis titulis invenitur. Apud Cauerum quidem num. 133. a. vers. 21. legitur[5]) „πρήξῳσιν“, apud Conzium

---

5) Titulos prope Chium urbem inventus est. Cf. „Bulletin de correspond. hellénique“ a. III. p. 230. „Μουσεῖον κ. τ. λ.“ περίοδ. δευτέρ. ἔτ. πρῶτ. 1875—1876. pag. 38.

tab. VI. 1. vers. 3. (accuratius Bechtel num. 1) „γράφῳ(σ)ι“ exstat[6]).

Vers. 47. „ὄππακε“ idem est atque „ὄπῃ ἄν“. Ahrens §. 9. 3 duplicatae literae „π“ haec exempla affert: „ὄππα“ et „ὄππως“ Theocr. 28. 4 et 29. 13. 33. „ὄπποτα“ Sappho 3, Alcaeus 31 (cf. ibid. adnot. 3). „ὄππως“ legitur in vers. 4. tituli a Curtio Mytilenis inventi et in Herm. VII. 407 primum editi. —

In versu 48 illud „μέχρι Πορνοπίας“ accuratius excutiendum est. Illustratur enim Strabonis loco, qui in libro XIII. pag. 613 exstat; hic est:

„ ... *Τὰ οὖν περὶ τοὺς Τεύκρους καὶ τοὺς μύας, ἀφ᾽ ὧν ὁ Σμινθεὺς, ἐπειδὴ σμίνθιοι οἱ μύες, δεῦρο μετενεκτέον. παραμυθοῦνται δὲ τὴν ἀπὸ μικρῶν ἐπίκλησιν τοιούτοις τισί· καὶ γὰρ ἀπὸ τῶν παρνόπων, οὓς οἱ Οἰταῖοι „κόρνοπας“ λέγουσι, Κορνοπίωνα τιμᾶσθαι παρ᾽ ἐκείνοις Ἡρακλέα ἀπαλλαγῆς ἀκρίδων χάριν. Ἰπόκτονον δὲ παρ᾽ Ἐρυθραίοις τοῖς τὸν Μίμαντα οἰκοῦσιν, ὅτι φθαρτικὸς τῶν ἀμπελοφάγων ἰπῶν· καὶ δὴ παρ᾽ ἐκείνοις μόνοις τῶν Ἐρυθραίων τὸ θηρίον τοῦτο μὴ γενέσθαι. Ῥόδιοι δὲ Ἐρυθιβίου Ἀπόλλωνος ἔχουσιν ἐν τῇ χώρᾳ ἱερόν, τὴν ἐρυσίβην καλοῦντες ἐρυθίβην, παρ᾽ Αἰολεῦσι δὲ τοῖς ἐν Ἀσίᾳ μείς τις καλεῖται „Πορνοπίων“, οὕτω τοὺς πάρνοπας καλούντων Βοιωτῶν, καὶ θυσία συντελεῖται Πορνοπίωνι Ἀπόλλωνι*“. —

Sic Kramer et C. Müller scribunt; in duobus enim codicibus (E et F) „μείς τις“ legitur. In aliis libris manu scriptis „μύς τις“ invenitur. Earinus „μύς τις“ legendum esse censet.

---

6) Haud scio an huc Arcadica dialectus referenda sit. In illa enim coniunctivi pers. 3. plural. in „ωνσι“ formata esse videtur. In titulo quidem Tegeatico, quem Th. Bergk „index schol. Halensium“ 1860/61 et Michaelis „Jahrbücher für classische Philologie“ 1861. pag. 585. sequ. explicuerunt, legitur: „κρίνωνσι“ (v. 5), „κελεύωνσι“ (v. 15), „παρετάξωνσι“ (v. 28).

Sed testimonia, quae affert, mihi parum certa esse videntur. Audiamus modo quae dicat (pag. 137).

„.... Ἡ δὲ ἐν στ. 48. τοῦ παρόντος ψηφίσματος ἀναφερομένη Πορνοπία εἶναι τὸ ἐν Νήσῳ προαναφερθὲν Σμίνθιον, ἤτοι ὁ ναὸς τοῦ Σμινθέως Ἀπόλλωνος, ὅστις ἦτο ὁ αὐτὸς μὲ τόν Πορνοπίωνα Ἀπόλλωνα ὡς ἐξάγεται ἐκ τοῦ συνδυασμοῦ τῆς Πορνοπίας ταύτης μετὰ τοῦ ἐπὶ τῶν νομισμάτων τῆς Νήσου μυὸς καὶ τῆς ἑξῆς παραγράφου τοῦ Στράβωνος".

Sequuntur iam illa Strabonis verba; postea Earinus sic pergit ratiocinari:

„Ἔνθα τὸ „μείς τις" πρέπει νὰ διορθωδῇ εἰς „μῦς „τις". Τοῦ Ἀπόλλωνος τούτου χαλκοῦν ἄγαλμα, ἔργον „τοῦ Φειδίου καὶ καλούμενον Παρνόπιον ἀναφέρει ὁ Παυ-„σανίας[7]) ὅτι εἶδεν ἐν τῇ Ἀκροπόλει τῶν Ἀθηνῶν". — Vereor ne haec argumentatio parum probabilis sit, quare in ea acquiescere nequeo.

Ac primum quidem nescio an Earinus pusillam rem nimium exaggeraverit. Etenim inter illos nummos et ab Imhoof-Blumer et ab ipso editos unus tantum est, in quo, nisi Earinus fallitur, muris signum invenitur. Est ille, quem Earinus num. 5. notatum edidit. Ergo dicere non debuit: „.. τοῦ ἐπὶ τῶν νομισμάτων τῆς Νήσου μυός ... ". —

Accedit quod ad confirmandam sententiam suam Pausaniae verba affert, quae tamen argumentationem eius non modo non confirmant, sed diluunt. Pausanias enim l. l. haec dicit:

„...... Τοῦ ναοῦ δέ ἐστι πέραν Ἀπόλλων χαλκοῦς „καὶ τὸ ἄγαλμα λέγουσι Φειδίαν ποιῆσαι. Παρνόπιον δὲ „καλοῦσιν, ὅτι σφίσι παρνόπων βλαπτόντων τὴν γῆν ἀπο-„τρέψειν ὁ θεὸς εἶπεν ἐκ τῆς χώρας κ. τ. λ. .. "

Verba dilucida sunt; loquitur de signo aereo Apollinis Parnopii; addit, deum sic appellatum esse, quod olim terram locustis

7) Paus. I. 24. 8. Ex verbis Pausaniae apparet, non signum illud „Παρνόπιον" appellatum esse, verum Apollinem ipsum; supplendum enim est: „τὸν Ἀπόλλωνα".

liberasset. Nam „πάρνοπας“ locustas esse, non modo e Strabonis verbis sed etiam ex aliis permultis antiquorum testimoniis manifestum est. Ne longus sim, haec affero: Moeris Attic. s. verb. „πάρνοπες“; Hesychius ibid.; Harpocration s. v. „ἀπρότων“; Photius s. v. „πάρνοψ“; Suidas ibid. aliaque. Verum ubi mures sunt? Num igitur his causis adducemur, ut illo loco „μύς τις“ legamus?

Ipse Strabo[8]) Oetaeos pro „πάρνοπες“ „κόρνοπες“ dixisse docet[9]). Aeoles igitur pro „πάρνοπες“ „πόρνοπες“ dicebant[10]). „Πάρνοψ“ ergo locusta erat. Num igitur „πόρνοψ“, quod sine dubio idem est atque „πάρνοψ“ mus erit? Quid quod geographus plane demonstrat, Boeotos, quos et ipsos Aeoles fuisse constat, locustas non „πάρνοπας“ sed „πόρνοπας“ nominasse. Hoc enim opinor Strabo his verbis dicit: „ .. καλεῖται Πορνοπίων, οὕτω τοὺς πάρνοπας καλούντων Βοιωτῶν ... “. In his verbis tamquam causa affertur, cur Aeoles Asiani „Πορνοπίων“ dixerint.

Illud „μείς τις“ autem idem est ac „μήν τις“. Apud scriptores Graecos saepenumero „μείς“ pro „μήν“ invenimus. Exempla permulta habes in Henr. Stephani „thesauro lingu. Graec.“ sub verb. „μήν“. Et „μείς“ tribus titulis confirmatur.

---

8) Cf. Eustathii comment. ad Iliad. A. pag. 34. Is Strabonis verba repetit.

9) Hic alios locos haud neglegendos esse censeo. Apud Hesychium s. v. ὀκορνούς“ legimus: „τοὺς ἀττελάβους καὶ τὰ ἀκριώδη (ἀκρίδια?) οὕτω λέγουσιν.“ Et apud Eustathium l. l. pag. 1515. 27: „κορνώπιδες· κώνωπες“.

10) Cf. vocem „πάρδαλις“ et „πόρδαλις“. Aeoles „α“ ante liquidas persaepe in „ο“ mutasse, Ahrens §. 12 (pag. 77.) demonstrat.

Huc etiam illam obscuram Hesychii glossam pertinere puto. S. v. „πορνόπαι“ legimus „αἱ ὧραι“. Pierson. ad Moer. 416. conicit: „πορνοτύπαι· ἑταῖραι“; Mor. Schmidt sic scribendum esse censet: „πόρνῳ· παιδὶ ὡραί(ῳ); alii scribunt: „πόρνοπες· ἀκρίδες“. — Nescio quid de hac glossa faciendum sit. Coniectura mihi in mentem venit quam vix proponere audeo. Haec est: „πορνόπαι. ἄωροι (id est „deformes“). Fortasse huc pertinet alia Hesychiiglossa, et ipsa non ita clara: „Παρνόπη· Καλλίστρατος Ἀθηναῖος“.

In inscriptione Mylasia (c. i. Graec. II. n. 2693e) legimus „ὁ ἐνεστὼς μείς“ sequente paulo post: „μηνῶν“; et in alia, Orchomenia, quae ibid. I. n. 1569. a. edita est, quinquies (vers. 1, 13, 25, 27, 32) Boeotica forma genetivi „μεινός“ et semel versu 53 accusativus „κατὰ μεῖνα“ invenitur[11]).

Item „μείς“ legimus in titulo Corcyraeo apud W. Vischer „Kleine Schriften“ vol. II. tab. I. 4. pag. 13. —

Revertor nunc ad propositum meum: certum est, apud Nesiotas Pornopionem Apollinem, id est locustarum eversorem cultum esse. Tametsi Earino concedo, etiam Apollini Smintheo Nesiotas cultum tribuisse. Id non solum mure in illo nummo signato — si revera mus est — comprobari videtur, sed etiam e Strabonis testimonio colligi potest l. l. dicentis: „παρὰ πᾶσαν γὰρ δὴ τὴν παραλίαν ταύτην ὁ Ἀπόλλων ἐκτετίμηται μέχρι Τενέδου, Σμινθεὺς[12]) ἢ Κιλλαῖος καλούμενος ἢ Γρυνεὺς ἤ τινα ἄλλην ἐπωνυμίαν ἔχων“. —

In versu 50 „ΚΑΙΚΕ“ sic legendum est: „καί κε“ = καὶ αἴ κε“. Idem invenitur in titulo Boeotico apud Franz „elementa epigr. Graec.“ pag. 192. C. 45/46 „κῆκα“.

Vers. 51 „τῶγ κεν εὐεργέτη“. Aeoles crebro articulo relativi loco usos esse, Ahrens §. 23. 10. demonstrat, multa ex scriptoribus Aeolicis exempla afferens. Addit ex titulo Lesbiaco, qui corp. inscr. Gr. 2166. exstat, vers 23. et 40 „ταῖς“ et „τά“, Ad haec exempla adicio ex Conzio VIII. 2. 4/5 (Bechtel num. 2) „μ(η)δὲν τῶμ παρεχώρησαν“. Contra in Eresiorum inscriptione (Conze XII. A. 33 Bechtel n. 42) legimus: „περὶ ὦν οἱ πρέσβεις ἀπαγγέλλοισ[ι“. —

Venio nunc ad inscriptionem alterius lateris. Videtur al-

---

11) Quare is, qui in Etym. Magn. pag. 583. 8. s. v. „μείς“ scripsit: „ἔστι δὲ ἄκλιτον· εἰ γὰρ ἐκλίνετο μενὸς εἶχεν εἶναι ἡ γενική“ haud optime iudicasse videtur. — Addo, in titulo Mytilenaeo genetivum „μῆννος“ legi corp. inscr. Gr. II. 2166. v. 34.

12) De Apolline Sminthеo cf. Eustath. comment. ad. Iliad. p. 34. et Menander „περὶ ἐπιδεικτικῶν“ 17. in Rhetor. Graeci. ed. L. Spengel vol. III. p. 437.

terum „ψήφισμα“ esse, quia in vers. 45 maioris tituli „οἱ ταμίαι οἱ μετ' Ἡρακλείτω“ illud decretum exarare iubentur, cum in hoc „οἱ ἐξετάσται“ (v. 60/61) id facere videantur. Nec tamen novum decretum est; nihil enim aliud nisi sanctio honorum Thersippo decretorum eo continetur.

Priores versus 22, ut supra diximus, adeo mutili sunt, ut nihil certi de iis proferri possit.

Vers. 31. „καθάπερ“ novum exemplum est, Aeoles in relativo spiritum quem dicunt asperum observasse cf. Ahrens §. 4. 5.

Vers. 33/34 Bechtel contextum ab Earino haud bene suppletum sic correxit: „καὶ μὴ ἔμμεναι πέρι αὖτα ... “.

Vers 35/36 sine dubio „προθ[έμ]εναι“ legendum est, id Bechtelio quoque probatur. Cf. Ahrens §. 26. 9. Quae Earinus et Cauer hic suppleverunt, non intellego.

Vers. 37. in lapide „ΕΙΠΛΑΙ“ incisum est, cum tamen „εἴπην“ in Sappho fr. 26. v. 2. inveniatur (cf. Ahrens §. 14, 1 et pag. 261.)

Vers. 38/39 Bechtel Earini supplementum: „μ(ή)τε ἐπιμηνί(ο||ι)ς ἔνι, καί ... “ rectissime sic emendavit: „μ(ή)τε ἐπιμηνί(ω||ἐ)σένικαι“; cf. vers. 43/44, ubi Bechtel Earini εἰσ||(ενέγκ)η“ in „ἐσ||(ενίκ)η“ correxit.

Quod ad illum qui vers. 38. et 43. „ἐπιμήνιος“ dicitur magistratum attinet, non dubito quin unus ex „buleutis“ fuerit, qui prytaneo praeerat et menstruis quibusdam sacris faciundis „κατὰ πρυτανείαν“ nominabatur. Nec mirum si huius potissimum hoc loco mentio fit; decreverant enim Nasiotae: (A. v. 32–35) „.. δεδόσθαι δὲ καὶ σίτησιν ἐμ προτανείω καὶ ὄτακε ἀ πόλις ἰροποῆται, μέρις διδόσθω Θερσίππω καὶ τῶν ἐκγόνων ἄϊ τῶ γεραιτάτω“. Sententia mea grammaticorum testimoniis confirmatur. Adnotat enim Hesychius ad. v. „ἐπιμήνιοι“: „οἱ ἱεροποιοί· ἐκαλεῖτο δὲ καὶ θυσία τις ἐπιμήνια, ἡ κατὰ μῆνα τῇ νουμηνίᾳ συντελουμένη“. Conf. Suid. s. v. „ἐπιμήνια“ et Etym. Magn. s. eod. v. Quae in etymologico de voce exstant, ad verbum cum interpretatione Suidae

congruunt. Accedunt complures tituli; imprimis foedus illud Smyrnaeorum et Magnetum, qui Sipylum incolebant, ap. Böckh corp. inscr. Gr. II. 3137. Ibi versu 30 legimus: „καλεσάτωσαν δὲ οἱ ἐπιμήνιοι τῆς βουλῆς καὶ τοὺς πρεσβευτὰς τοὺς παραγε(νομένους)ἐγ Μαγνησίας ἐπὶ ξενισμὸν εἰς τὸ πρυτανεῖον ... “ Huc pertinet Lesbiaca inscriptio quae in Bullet. de corresp. hellénique 1880. fasc. VII. pag. 439. num. 22. a Pottier et Hauvette-Besnault edita est. Legitur v. 15: „τοὺς δὲ ἐπιμηνίους τοὺς ἀεὶ γινομένους παριστάναι αὐτῷ ἀπὸ τῶμ μισθουμένων ἱερείων ἄρνα θηλεῖ(αν) ... “

His duobus titulis quae munia illis „ἐπιμηνίοις“ obeunda fuerint, satis aperte declaratur[13]).

Vers. 42. cum Cauero legendum: „[ἐσ]αγάγη [ἢ καί]“.

Vers. 54/55. Earinus supplevit: „ἐμ||(μεν)έστω“ quod non intellego. Bechtel p. 156 conicit: „ἐ(νεχ)έσθω“. Fortasse sic legendum est: „ἔ[νο||χος] ἔστω“. (cf. Curtius l. l. tab. XII. A. 24 = Bechtel num. 42.). —

Vers. 56/57 Earinus scribit: „κάλλ||(ως πρ)ὸς τὸν δᾶ(μον)“, obscure; praeclare Bechtel: „καλλ||(ύοντ)ος τὸν δᾶμον“ = „καταλύοντος.“ —

13) Cf. etiam Corp. inscr. Gr. 3595: „Ἐπιμηνιεύοντος Νυμφίου τοῦ Διοτρέφους ἐπιστατοῦντος δὲ Διονυσίου τοῦ Ἱππομέδοντος ..“; ibid. 3641. B. v. 5; 2448. II. 34, IV. 15, 32 et saepius. Addo titulum qui in „Μουσείῳ“ περ. πρώτ. 1873—75. pag. 98. num. 97. primum editus est. Lapis propre Γενὶ Λιμάνι inventus 0,30 m altus, 0,23 m latus, 0,5 m crassus est.

. . . .
. . . . τ]οῦ ἔτους
. . . . ἀποδει —
. . . . οἵτινες τήν τε
. . . . ουσιν καὶ τὸ ψήφισμα
ἀναγράψο]υσιν εἰς στήλην· τὰς δὲ ἀν-
αγγε]λίας ἐπιμελεῖσθαι ἐπιμηνίους
καὶ] ἐξεταστὰς τοὺς καθέκαστον γινο-
μένους· ἀπεδείχθη Μητρόδωρος Ποσει-
δωνίου, Ἀπολλωνόδοτος Ἀμύμονος

Hic fortasse „ἐπιμήνιοι“ (v. 7.) prytanes sunt.

Excursus II.

De insula Pordoselene.

Pordoselenae insulae saepenumero mentio fit ab antiquis scriptoribus. Praeter Strabonem de ea loquuntur: Hesych. s. v. „Πορδοσελήνη"; Steph. Byz: s. eod. verb. et „Σελήνης πόλις"; Scylax §. 97; Aristotel. hist. an. 8. 28.


„Ποροσελήνη" insula nominatur apud Ptolem. V. 2. 5. et Paus. III. 25. 7; apud Aelian. N. A. II. 6, ubi in uno ex codicibus exstat: „Πωροσελήνη", cum in aliis „Πληροσελήνη" legatur; apud Plin. N. H. v. 137. et VIII. 226. „Προσελήνη" denique invenitur in Synecdemo Hieroclis pag. 686. 9 et in Chalced. synodo pag. 530. et vol. 9. pag. 173.

Mirum est, quod Strabo Pordoselenen et Nesum non in Hecatonnesis numerare videtur. Dicit enim l. l. „πλησίον δὲ τούτων (Ἑκατὸν νήσων) ἐστὶ καὶ ἡ Πορδοσελήνη ..". Insula Pordoselene hodie „Πύργος" appellatur. Hoc nomen Earinus inde ortum esse affirmat, quod antiqua aedificia in ea exstructa praetervehentibus turris speciem praebeant.

Certum conferas de hac insula, quae Earinus pag. 141 de ea disserit. Opinatur, insulam antea „Ποροσελήνην" nominatam postea propter squalorem incolarum „Πορδοσελήνην" a vicinis appellatam esse. „Ποροσελήνην" esse idem atque „Παρασελήνην". „Σελήνην" enim oram Nesi insulae nominatam esse, quia lunae formam imitaretur.

Haec Earini opinio mihi haud probatur. Nam et Strabonis clarum testimonium repugnat neque evinci potest, Aeoles pro „παρά" „πόρο" dixisse.

Pordosolene, si magnitudinem respicias, secunda Hecatonnesorum a Neso est. Ad septentrionem et occidentem spectat. Urbs in ora orientali sita erat, id quod e Strabonis verbis apparet: „καὶ πρὸ τῆς πόλεως ταύτης ἄλλη νῆσος". Insula Nesus igitur e regione Pordoselenes urbis erat; ergo urbem Pordoselenen in ora Neso adversa fuisse patet.


26°30' ö. v. Gr.
39°20'
Gargara
M. von Adramyttion
NASOS
Hekatonnesoi
Aivali
Agiasmat
Mytilene
LESBOS